




3. f. 50



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

<http://www.archive.org/details/mikrokosmossiveh00bosc>

ΜΙΚΡΟΚΟΣΜΟΣ

SIVE

HVMANI CORPORAIS

FABRICA

Ex sacris DD. & Physicis

Summatim exhibita


In Annua Congregatione V. Pastorum Regul.

Cænobij TVNGERLOENSIS.

PER

F. WILLIBRORDVM BOSCHAERTS
eiusdem Cænobij Canonicum Presbyterum

Anno 1625. 10. Iulij, in profesto SS. P. N. NORBERTI.




LOVANI,

Apud HENRICVM HASTENIVM, Urbis &
Vniuersitatis Typographum. Anno 1625.

HVMANI CORPORIS FABRICA

SVMMATIM EXPLICATA.



PHILOSOPHO cuidam in eremū descendenti, & eius incolam Antonium interroganti, quomodo in adeò vasta solitudine ab omni conuersatione, aspectu, alloquio vacuissima vitam transigere sine libris valeret. ostendēs cælum & terram respondit Antonius; Meus liber, ô

*Socrates
hist Eccl.
lib. 7 cap.
23.*

Philosophe, est natura rerum à Deo conditarum, quæ quotiescumque mihi libuerit, libros ipsius Dei ad legēdum mihi suppeditat: ac si diceret, Tu Philosophe insudas euoluendis veterum tuorum Sophorum scriptis, cum labore & sudore latentes effectū causas in ijs scrutaris, vigili lucerna libris componendis otium tibi labitur, ego vtor libris non manu scriptis aut à me excogitatis, sed conscriptis à Deo mihi & omnibus clarissimè ob oculos positis, toto nimirū hoc vniuerso, quod quaqua-
uersum latissimè patet: ibi enarratur gloria Dei, ibi relucet perfectio, qualitas, potentia factoris, ibi effusim se aperit benignitas Creatoris; hos perlego, ex his addisco, hi otium mihi fallunt. Non inuenio ibi Philosophantium rixas, nunquam perituras dubitationes quibus eorum scatent pulpita. Vniformis & simplex apparet hic veritas: gradus hi sunt quibus ad cælorum fabricatorem ascendendo: exemplar est ex quo omnia vestra laboriosa volumina sunt exarata. Hic liber inuolutus est quem tot cō-

tentionibus & rosis vnguibus nitimini enodare, nec tamē
 ad culmē veræ scientiæ vnquā pertingitis, sed euanesceitis
 in cogitationibus vestris. Quod de magno pronuncia-
 uit diseruitq; Θεοδίδαντος ille Antonius, possumus idē de
 paruo mundo (homine) qui merito paruus mundus di-
 citur, omnia quæ in magno sunt in sese siue formaliter
 siue eminenter complectens admirabili situ, ordine, va-
 rietate. Quod ipsum nobis appositè explicat Gregorius
 Magnus in illud mandati Dominici: [*Prædicate Euange-*
lium in omni Creatura. Omnis Creaturæ nomine signatur
 Homo. Omnis autem Creaturæ aliquid habet homo.
 Habet namque commune esse cum lapidibus, viuere
 cum arboribus, sentire cum animalibus, intelli-
 gere cum Angelis. Si ergo commune habet ali-
 quid cum omni Creatura Homo, iuxta aliquid omnis
 Creatura est homo.]

Hom. 29.
 in Euan-
 gelia.

Hunc μικροκόσμον enarrare hodie mihi est decretum, vt
 eius artificium intuendo ad sup̄remi παντοῦργου enco-
 mia, venerationem excitari valeamus. Nemo miretur
 hanc materiam à nobis proponi, aut indignam esse pu-
 tet stylo, oratione, confessu, cum SS. Patres ad
 eius obseruationem aciem mentis non segniter applica-
 rint, ad eius inspectionem nos sæpe hortantes, eius cog-
 nitione ad laudem & gloriam Artificis nos prouocantes.
 Quin & Ethnici profanique, quemadmodum ex eorum
 libris patet, non sine prouidentia diuinæ extrema admi-
 ratione huiuscemodi thema tractarunt. Hunc igitur ex-
 plicare mihi propositum est, non quidem totam eius
 compagem resoluendo (esset enim immensi laboris &
 de quo plurimos tomos confecerunt Anatomicae scien-
 tiæ professores) sed ex omnibus præcipua quædam deli-
 bere, nec ea quidem exactè, tantum quasi ἐν ὁδῷ obi-
 ter siue transeunter.

Sapientissimus totius vniuersitatis Architectus Deus, magnum mundum & quæ eius sinu continentur conditurus, eius primò iecit fundamenta mole vastissima, firmitate solidissima, quibus secutura omnia tanquam basi inniterentur: *In principio creauit* (inquit Scriptura) *Deus Cælum & terram.* Est terra inter omnia simplicia corpus densissimum, aptissimumque proinde cæteris sublunariibus sustentandis: ei innituntur præter viuientia penè omnia, ingens aquarum moles, aër, eisque mediantibus ignis, si ei disponamus separatum supra reliqua elementa locum. Cælum ex aëre fufum, conditione incorruptibile, suo amplexu inferiora coërcet, & quasi intra limites cohibet Ita idem artifex fabricaturus in magno Mundū minorem (hominem) eius in corpore solida struxit fundamenta, scilicet ossa, quibus reliqua fabrica quæ carne, pelle, humoribus, neruis, venis, materia partim molli, partim fluida constat, cohæreret firmiter, permanenterque subsistere valeret Quod in magno Mūdo terra, quod in ædificijs sunt lapides fundamētales, trabes, quod in nauibus carinæ & costæ, hoc in hominis structura sūt ossa terræ comparata, cum qua etiam in terrestri & frigida indole communicant, quæ admirando artificio ordineque sunt digesta & commissa. Nō latuit hoc Hussiū pugilem Deo loquentem : *Ossibus & neruis compegisti me.* Teste Aristotele omnia cōtigua sunt, & neque os vllum seorsim per se habetur alteri non annexum, sed aut pars continui est, aut aliud os cōtingit, ac ei annectitur, adeò vt sagax rerum parens natura, simul ossibus tanquā vno continuoque & simul pluribus ad diuersos vsus hominū voluerit vti Potuisset Deus omnipotens ea instar vnus continuiq; ossis, lapideæ cuiusdā statuæ modo effingere: sed nostri functionibus inidoneū id plane fuisset. Nā etsi ita quidem humana fabrica iniurijs minus foret obnoxia.

Genes. 1.

Iob. 10.

l. 2. de part. ani. cap. 9.

& ipsius ossa firmiorē adipiscerentur sedē, neque luxari, neq; excidere, aut distorqueri possent, tamen quia motu (qui animali maximè, si quid aliud proprius cēsetur) neutiquā destitui præclarissimū animal debuit: & cum motus citra ossium diuisiones cōmissurasque haud perficiatur, nos è multis ossibus fabrefieri magnopere conduxit.

Legō Ve-
salium
lib 1. De
hum.
corp. fa-
brica.

Compinguntur autem cartilagine quæ ad naturam eius admodum accedit, mollior tamen est terrestris ac durissima corporis secundum os particula, prorsus solida sensus ac medullæ expers in firmum ligamentum futura. Et quamuis totus illorum contextus, præsertim in particulari, ossa tibiæ, fæmorum dorli, vertebræ, fulcrorum officium subeant, sunt tamen etiam pleraque alijs munijs destinata. Quædã enim reliquis partibus veluti propugnacula, tutissimiq; valli & muri ex instituto obijciuntur, quemadmodum caluaria, pectoris os, costę &c: Alia quorundam ossium articulis præficiuntur ne illi plus satis laxè moueantur, aut in nimium acutos inclinentur angulos. Dentes porrò incidendis, confringendis, atterendis, molendisque cibis priuatim conducunt, perinde ac duo auditus instrumenti officula peculiariter auditrici potentiæ officio famulantur. Hinc inter ea cernere est admirabilem varietatem in figura, quantitate, duritie, mollitie, situ, colore, temperie, nominibus, quibus omnibus exactè recensendis non vna oratio sufficeret ne vilem aut abijciendam reputemus eiusmodi considerationem. Sane Regius Psaltes non leuiter animum intendens in formationem membrorum nostrorum internorum in utero matris adhuc reconditorum & crescentiũ, demiratũs sapientiam scientiamque Dei in hoc opere, narrationem de formatione corporis interrumpens exclamat: *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognosceat nimis.* Cōfitebor co-

Pf. 138.

gigans

gitans hanc industriam tuam: confitebor tibi confessionem laudis, quia terribiliter terrore admirationis & reuerentiæ magnificatus es. In quo hæc admirabilis magnificentia est sita? quia *Mirabilia opera tua*, id est, admiranda sunt opera tua in plasmatone hominis in vtero matris tam recondito & obscuro: & anima mea valde fataget cognoscere magnitudinem horum factorū tuorum. Statim regrediens ad scientiam & sapientiam Dei in humano opificio, pergit: *Non est occultatū os meū à te quod fecisti in occulto &c:* quasi dicat, non latet perspicaciam tuam ossatura mea (sic loquar) qualia, quanta & quam multa ossa lateant intra carnem meam, quia tu ipse ea fecisti, & in occulto fecisti in vtero materno intra pellē & carnem nostram ad fulcimētum habitationis nostræ. Dignam esse eorum contemplationem insinuat ferè eodem modo Sapiens: *Quomodo ignoras quæ sit via spiritus &c* Eccles. 11. *quæ ratione compingantur ossa in ventre pregnantis sic nescis opera Dei qui est fabricator omnium.* lacto fundamento reliquum ædificij artificium perlustremus. Ac quamuis animus multis laudibus suaque præstantia longè corpus tã in substantia quam potentijs excedat, eximiamq; Creatoris virtutem sublimius manifestet, de materiali tamen portione potissimum modò agemus; nam vnius horulæ angustijs omnia complecti non possumus. In hac primò cernere est altissimi prouidentiam, qui membra omnia indissolubili nexu inter se fecit coherere; quo ad mutuã opem consentiant, ac veluti gubernatione quadam politica in commune totius corporis bonum conspirent. Sicuti in magno mundo omnia corpora quæ sunt membra vniuersitatis, diuersissimarū specierum, contrariarum persæpe actionum, ad eò strictè inuicem coherere voluit natura, vt ne vel minimam particulam vacui intra ea patiatur, imò ei auerfandæ cum sui partium dispendio sem-

per obluſtetur: ſic in membrorum *συμμάχῃ*, arctiſſimus nexus mutuus conſpicitur. & quidem ob eãdem rationem: cùm enim inferiora gubernari, influxuſque recipere neceſſe ſit à ſuperioribus; deinde ferme cuncta ad finem bonũque Vniuerſi continuãdum in ſe mutuò agere & à ſe inuicem pati debeant, virtus autem vnus in alterum diſtans & per vacuum trajici nequeat, perneceſſarium fuit in Minore & Maiore illum tactum mathematicum inducere, & deinceps ſumma vigilantia cuſtodiri.

Duo præcipuè membra ſunt, de quorum eminentia & principatu inter Philoſophos decertatur, ſcilicet cor & caput ſiue cerebrum: Stoicis, Auicennâ, imò ipſo *Ariſtotele cordi, Platone, Galeno, SS. PP. ^b Auguſtino, ^c Chryſoſtomo, ^d Ambroſio alijsq; cerebro & capiti primatum deferentibus. Qui iudices nos poſtulabit, hãc referet deciſionem. Si membri dignitas communitate & neceſſitate influxus æſtinetur, primus dignitatis locus cordi eſt tribuendus, ſicuti benefica ſummèque requiſita eius vis ad omnes actus pertinens oſtendit. Si verò ex facultatum & operationum perfectione & nobilitate cenſeatur, cerebro ac capiti principatus eſt adiudicandus. Et quia hãc poſterior prærogatiua priori abſolute præponderat, ideò ſimpliciter ſtatuendum cum prædictis PP. cerebrum cordi nobilitate præſtare. Probant illud etiam, omiſſis alijs rationibus, ex ſitu D. Baſilius, Chryſoſtomus. Et pulchrè Ambroſius: [Primum omniũ (inquiens) cognoſcamus humani corporis fabricam eſſe inſtar mundi: ſiquidem vt Cœlum eminent aëri, terræ, mari, quæ veluti membra quædam ſunt mundi, ita & caput inter reliquos artus cernimus eminere, præſtantiſſimumque eſſe omnium tanquam inter elementa cælum, arcem inter reliqua vr bis mania.] Conformia ſunt hęc Ariſtotele aſſerenti humani corporis membra ad ſimilitudi-

a lib. 3.
De part.
animal.
cap. 4.
b in Pf.
29.
c Ser. 19.
in cap. 4.
ad Ephes.
d lib. 6.
Hexa.
cap. 9.

Homil.
1. Hexa.
ſupra.

Lib. 1. de
hiſt. ani-
mal. cap.
15.

multitudinem partium Vniuersi collata esse: quare cum
 videamus ea quæ componūt Vniuersum, quod ex qua-
 tuor elementis & cælestibus globis constat, eo perfe-
 ctiora esse quò locum habent altiore, fit vt caput reli-
 qua hominis non minus honore vincat quam cælum
 elementa. Residet in eo tanquam in excelsa arce *diariora*,
 circumquaque omnia perlustrans, cælos terrasque præ-
 teruolans, cæteris membris tanquam subditis iura di-
 cens, imperio mouens instar primi motoris nutu suo to-
 tum creaturarum exercitum ducentis. Quare tale do-
 micilium tuto munimento custodiri natura magnopere
 fatigit, quemadmodum regiam aulam muniri conuenit.
 Et in hac munitione insignem Architectonicæ diuinæ
 artis perfectionem aduertunt Anatomici, quod scili-
 cet non soli cuti carnosisque inuolucris vt in abdomi-
 ne, aut per interualla à se inuicem diffitis ossibus vt in
 thorace, cerebri commiserit custodiam, sed vndique os
 ipsi instar galeæ ad tutelam circumposuerit. Et cum ca-
 put tectum quoddam domus calidæ repræsentet, fumi-
 da vaporosaque subiectarum coquinarum recrementa
 quæcumque sursum conscendunt excipiens, atque
 huius gratia copiosiore euacuatione ipsum egeat, ga-
 leam cerebro inductam non prorsus solidam, sed
 cauernosam futurisque intertextam solers omnium
 author efformauit. Si enim tota caluariæ substantia
 seruaretur fistulosa & cauernulæ nullo obduceren-
 tur cortice, ea substantia suâ asperitate vicina ra-
 deret vulueraretque. Deinde si omnino spongiosa
 fistulosaque foret, nullo donaretur robore ac pu-
 micisritu fragilis atque infirma esset. Capillis quo-
 que tam ad ornatum quam ad protectionem con-
 tra aëris iniurias vestitur, sicuti arbor folijs, te-
 ctum tegulis: qui adeò exigui momenti non sunt,

in 4. diff.
44. qu.
1. art. 1.
ibid. q. 2.
 quin materiam præbeant Philosophis & Medicis ample disputandi: D. Thoma asserente eos animâ rationali, sicuti cætera carnis, informatos; D. Bonauenturâ eos informari animâ propriâ, quæ sola vegetâdi facultate prædita sit, habereque se ad carnem, sicut herbas ad terram, quæ illi quidem radicibus inhærescunt, tamen vnaquæque suam animam vegetatricem obtinet. Quæ vtraque sententia probabilis iudicatur.

Verùm omnium mirabilissimum est intueri numerum variumque apparatus potentiarum, honorariarum pedissequarum reginæ Rationi in capite cerebroque famulantium, quarum quæque suum habet cubile, proprijs fulget vestimentis, peculiaribus quæque instructa est instrumentis ad eiusdem obsequium perpetuò excubâtes, sensus externi quinque, Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus: sensus interni quatuor, Communis, Phantasia, Cogitativa, Memoria. Hi vigiles internuntij sunt, Referendarij, Grapharij, Libellorum supplicum Magistri inter obiecta & intellectum, ex quorum relatione, depositione, ille de omnibus rerum differentijs, litibus cognoscit, de cognitis sententiam pronunciat: nihil enim, docente Aristotele, est in intellectu, quin prius fuerit in sensu: & oportet intelligentem phantasmata contemplari.

De singulis differere modò non aggredior; esset hoc magnum Oceanû velle paruo puteo includere. De visu aliquid dicendum, qui inter cunctas sensitivas exteriores prima subsellia tenet; tû quia tenuioribus, & à materiæ fæce liberioribus, ac nisi per Diaphanum illustratum transmissis imaginibus ad functiones suas vtitur, nullamque realem immutationem ab obiecto recipit: tum quia eius actio celerrima est, vtpote quæ momento fit, & è longiore tractu res attingit: tum quia plures obiectorû perci-

percipit differentias quam alij sensus, quandoquidem visu totius mundi vultum, staturam & ornatum intuemur, lucis pulchritudine fruimur, quæ auro (iudice D. Augustino) pulchrior est, colorum varietatem distinguimus, vniuscuiusque molis magnitudinem, figuram, numerum, proportionem, situm, motum & quietem assequimur. Residet in oculo, domicilio orbicularis figuræ, cuius paratura septem constat musculis (sunt ij artuum nostrorum & oculi motores) quinque tunicis, tribus humoribus, neruis duobus, hoc ordine. Centrum oculi in globi figuram conformati obtinet humor crystallinus, qui glaciem, seu crystallum suâ pelluciditate æmulatur, quæ vndique cingit tunica specularis, sicut speculû nitēs & trās lucēs. Huius humoris medietas vna in humorē vitreum, qui proxime sequitur, immersa est; altera in eo exstat, & quasi innatat. Deinde humorem vitreū posteriori parte ambit tunica reticularis, sic dicta, quod venulis multis & arterijs intexta, retis effigiem exhibeat, desinens vbi glacialis eminere incipit supra vitreū. Hinc duæ sese offerunt membranulæ, nempe vnea per cuius foramen crystallinus cum pupillâ cernitur; & à colore huius tunicæ, quæ variè intingitur, oculos nigros, cæcios, glaucos, aut alio colore imbutos dicimus. Altera tunica est cornea, quia cornu in laminas tenuissimas infectum refert, quæ totum oculum circumit & splendida est. Inter has duas tunicas, humor aqueus (ab aquæ similitudine) continetur. Tum postremum atque extimum locum occupat tunica adhærens cuius beneficio vndiq; totus oculus consistit & in sua sede cohibetur. Concurrunt etiam ad oculi ædificaturam duo nerui optici seu visorij appellati, qui à cerebro proficiscuntur: alter è dexterâ, alter è sinistrâ viâ, per quos simulacra eorū quæ sub aspectum cadunt, in communem sensum influunt,

simulque per eisdem à cerebro emicant visorij spiritus, sine quorum ope facultas cernendi munus suum perficere nequeat. Ut verò tutus sit oculus, palpebra ei prætexitur tanquam quoddam propugnaculum; tenerri-
 mus enim est & sine detrimento rarò tangitur. Pilorum aciculæ in ijs circumpositæ, quibus eæ inter se conferantur, & applicentur exactius, superior ad inferiorem; earum enim quædam ligamenta sunt pili inter sese implexi & interferti. Per huiusmodi palpebrarum pilos (inquit Basilius hanc *οφθαλμοποιήσιν* accuratè describens) peculiaris quædam & accommoda munitio nos vndique cingit; simul quidem per eam delineationem gratuitum decorem nobis indulgens, simul etiam non mediocre emolumentum suppeditans custodiæ tutelaris: nam animantium quæque minutissima procul à se submouet, nec puluerulentam vllam materiam aut scobinam sinunt adire propius oculi pupillam, quæ alioqui poterat ab omni parte reddi obscurior & induere caliginem. Obijcit sibi idem Basilius, Cur manus non sufficiunt oculo protegendo? Respondet, potuisset affectio quæpiam anteuertens oculi aciem obtundere, quam eousque pertingat manus, nunc verò illi adiacet palpebra supernè impendens, quæ simul ac noxij aliquid sentit, mox oppandit velamen. Supercilia item quæ supernè prætexuntur, prominentque oculis, sunt ipsis munimentum peculiare & penè domesticum, vt aciem visiuæ potentiæ rectà intendant ac moderentur: Deinde ea ipsa sudorem ex immodico labore contractum non sinunt influere oculis, nec illis proinde esse impedimento. Quæ omnia aliaque hîc considerans citatus Basilius, admirabundus erumpit. [Quis vsquam vinitor pulchrè adeò suam possit excolere vineam, aut supercilioso colle eam circumdare, vt à quoquam hæud facile queat

Supra.

queat inuadi & neque lædi vllâ incurfione torrentium
 è finitimis locis alluentium, perinde atque dominus
 fepimento fuperciliorum, & quafi propugnaculo præ-
 munijt oculos?] hanc follicitam custodiam agnofcit
 Ecclefia, dum orat, Custodi nos Domine vt pupillam
 oculi, id eft, eam curam quam oculo custodiendo adhi-
 bes, erga nos in alijs noftris potentijs, actibus,
 contra quælibet occurrentia dignare. Quod attinet ad
 eorum fitum; illuftrarunt eum Phyfici & Medici:
 ne autem fe solos, aut primos id aduertiffè autu-
 ment, audiamus diuum Ambrofum facrum Philo-
 fophum: [Adhærent veluti quibusdam montium fu-
 percilijs oculi, & vt protegente montis cacumine ^{Supra.}
 tutiores fint & tanquam in fummo locati, de qua-
 dam scenâ fuperiori vniuerfa profpectent. Neque
 enim oportebat eos humiles effe ficuti aures vel
 os, ipfosque narium interiores finus. Specula enim
 femper in alto eft, vt aduenientium cateruarum ho-
 ftilium explorari poffit aduentus, ne improvisò oc-
 cupent otiantem vel vrbis populum, vel Impera-
 toris exercitum. Hæc latronum quoque cauentur in-
 curfus, fi exploratores in muris, aut turribus, aut mon-
 tis excelfi fupercilio fint locati, vt defuper fpectent
 plana regionum, in quibus infidiæ latronum latere
 non poffint. At forte dicas, fi fpecula editior neces-
 faria fuit, cur non fupra fumum verticem capitis
 oculi conftituti fint, ficuti cancris vel fcarabæis in fum-
 mo funt, quibus licet nullum caput appareat, colla ta-
 men ac dorfa cætero corpore celfiora funt? fed illis tefta
 valida, nec tã tenuis membrana ficuti nobis, quæ facilè
 poffit offendi, ruboq; & cæteris interfcindi fentibus: itaq;
 nobis in fūma propemodū corporis parte cōftitui oculos
 oportuit tanquā in arce, & ab omni vel minima offēfione

defendi, quæ duo sibi compugnantia videbantur; nam si in humili essent, propter tutamen munus impediretur: si in vertice, paterent ad iniuriam]. Hactenus Ambrosius. Quibus planè cõsimilia habet Basilius. Cur oculi Sphæricæ figuræ sint causas plures reddunt Perspectiui. Congruit eis forma globosa promptiori agilitate nunc huc, nunc illuc volui, & aspectum circumferre aptissima. Voluit autem eius Creator aspectum circūferri, vt circuitus (ait Plato) ordinatos, qui in cælo aguntur, in vsum redigamus mentis nostræ, discurionesque ipsius illis cognatas; perturbatas verò ad illorum temperiem reuocemus & conuersiones Dei, quæ sine vllò errore aguntur, imitemur.

In Ti-
m.o.

De auditu, de alijs sensibus, eorum officinis, operationibus, de sensiteriorum politâ constructione præclara possem depromere, si nimius esse vellem, & sine fine sermonem protelare. Vos ex ijs quæ de oculo diximus, proportionatè de cæteris intelligentiam transumite. Sunt hi omnes fidi intellectus administri, ad diuersa in tanta diuinorum operum diuersitate exploranda emissarij. Hinc fenestræ animæ à scriptura & SS PP. appellantur, non malè ab ijsdem, luminaribus cælestium orbium comparati, oculos Soli, luminari maiori, reliquos astris, minoribus luminaribus, conferentibus.

Ast quoniam in regio palatio, in Regis Reipublicæq; Consistorio variæ sunt famulantium classes, alij ordinis superioris, alij inferioris, per quos seriatim Regis Reipublicæque expletur obsequium: intellectrici facultati diuersas ex ordine subordinauit ordinatissimus Moderator potentias, per quas ipse tanquam per assistentes Senatores pulchro ordine confidètes, debitum exequatur officium; nimirum, sensus internos. Post externos namque Veredarios quaquauersum exploratores excurrètes,
primus

primus sequitur sensus communis, veredariorum magister, qui singula à quinque sensibus accepta in vnum colligit, de ijs proximè cognoscit, ad supremi iudicij senatū transmittit. Ei præterea demandatum est impertiri sensibus externis vim ad functiones suas obeundas per communicationem spirituum vitalium, quos abs se veluti fonte ac primario sentiendi instrumēto effundit. Secūdo loco statim subsequitur Phantasia, quæ species à sensu communi acceptas conseruat, ijs vtitur & cognoscit in absentia obiectorum, cum sensus communis solum edat actionem perceptiuam in præsentia obiekti, & eo euanescente, ipsius etiam actio euanescat. Tertia in irrationalibus animalibus æstimatedia, in hominibus cogitativa indigitatur, qua non solum res sensatas, sed etiam insensatas cognoscimus, easque inter se componimus. Manifestat se clarè in brutis, verbi gratia, oue balatili quæ viso lupo inimicitias apprehendit. Quartum subsellium insidet memoria, phylacterium omnium specierum ab enumeratis sensibus allatarum, qua quod notitiæ antehausimus, iteratò repetimus, estque totius vrbs intelligibilis Thesaurarius, Sigillorum custos. Disputare hîc nū omnes nominatæ facultates substātiâ aut specie, an solo officio discriminentur, non occipio: agant hoc emunctioris Philosophiæ Psychici. Nobilissimus ac proximus à Rege minister est intellectus agēs, eiusdem stemmatis cū intellectu mente, à concretione materiæ ex origine liber. Quandoquidem enim intellectus, ex quo actiones intelligendi proficiuntur, à principio sit veluti nuda tabula, nullam obtinens rerum congenitam imaginem, cuius interuentu intelligendi actus proferat, nec verò eiusmodi imagines solius phantasmatis ministerio gigni queant, quod sint ordinis immaterialis, ad quem agens materiale suo pte marte pertingere non valet, necessariū

fuit Creatori ei adiungere aliquam spiritualement potentiã ancillantem, cui id munus tanquam principali animæ instrumento incumbat: ea verò potentia est intellectus agens. Hi omnes iam recensiti sicuti ipsi capiti & cerebro, in quo regina Ratio residet, à ministris sunt, ita vicissim anima ex cerebro armamentario suo eis vires, alimenta, mediã procurat, spiritus animales, sine quibus nullæ mortalium facultates officia sua obire queunt: sunt ij substantiua quædam corpuscula è purissimo & tenuissimo sanguine producta, à corde sursum missa, & à cerebro vltimò præparata, quibus deficientibus, nisi alij addantur, languescunt necessariò omnium famulantium potentiarum vires. Concinna hæc decentissimaque sensitiuarum coordinatio, earũ constans Sympathia & Antipathia mouerunt Platonem vt animam ex qua illæ germinant, harmoniam appellaret.

Ad prædictam & aliquo modo hætenus explicatam capitis Oeconomiam, sunt præterea in cerebro decora ordinatissimaque serie fabricata ostiola, foramina, cauernulæ, nerui tum ad spiritus animales recipiendos, emittendos, perficiendos, tum ad sensuum tam internorum, quam externorum operationes procurandas, iuuandas, recrementa exturbandum, noxia auerendum: oportet enim, quia in diuersa eius administratio distrahitur, diuersorum supellectilium cubilia possidere. Quæ omnia si quis enucleatè pensitet, nonne iustè æstimabit, non hominem dumtaxat, sed etiam solũ caput microcosmi titulum mereri? Quare Theodoretus volens prouidentiam diuinam erga genus humanũ intimare: [Caput, inquit, arcis instar in summo ciuitatis huius, (humani intelligit corporis) fastigio situm conspice, in quo opulentiissimus quoque hominis thesaurus, nempe cerebrũ, quasi in munitissimo castro custoditur.]

*Serm. 3.
de prouid.*

Post caput secundas habet Cor, natum stationem in medio orbis aut circa medium, quò exinde omnibus recessibus possit commodius subuenire; sicuti Sol in medio stellararum Sphærarum collocatur ad facilius reliqua astra debitâ luce perfundendum: Est enim vitæ principium, pernecessarij caloris fons, contra violentos incursum ingeniosâ solitudine vndique circumuallatur, estque, afferente Aristotele, quasi quoddam separatum animal. Obseruât Anatomicæ speculationis periti, ossa quæ Cor custodiunt, gladij cuiusdam effigiem referre; ac si natura exerto gladio, armatâ manu, vitæ promptuarium continenter defendere parata sit. Statua nanciscitur in eo appetitus iræ, qui quasi belli Dux, hostilè ingressû repellit, totumque animal ab inimicorum grassatione tuetur. Associatur ei in eadem sede Concupiscibilis; qua ex ratione Christus in Euangelio: *De corde exeunt cogitationes* Mat. 15
male. Eius motum esse conuersioni superlunarium globorum persimilem, adnotat diuus Thomas, quia Opuscul.
& circularis prout ab eodem ad eundem terminum reciproca uicissitudine comeat, & 33. continuus simul quatenus dum animal uiuit, neuiquam interrumpitur; habet se ad caput sicut terra, mare ad cælum: terra, mare, vaporosas exhalationes ad altiora loca ablegant, quas superna corpora congregant, modificant, in pluias, imbres conuertunt, quibus dimissis, inferiora rigantur, aluntur, fecundantur: sic Cor spiritus vitales à jecore crudos recipit, excudit; efformatosque cerebro transportat, quod eosdem magis purgando, concoquendo vicissim ad Cor, ad singulas nostri orbis plagas remittit, quibus singulae viuificantur, fecundantur, ad seruitia sua exequenda habiles efficiuntur. In his dispersiendis ad amissim seruatur iustitia distribu-

tiua, qua cuique membro secundum officij rationem debitâ mensurâ porrigantur; his plures, alijs pauciores, his subtiliores, alijs crassiores. Quidnam ij sint, supra est definitum. Vehicula sunt caloris à corde hausti per omnes corporis tractus, quo insitum calorem indefinenter deciduum aduentitio instaurant. Ab Aristotele assimilâtur malleo, incudi, quæ ad multas actiones edendas obferuiunt. Torquet inquisitores Physicæ, quoniam impulso, quæue manu spiritus nunc illorsum, nunc istorsum, nunc fursum, nunc deorsum statutâ lege ferantur: neque enim adeò discrepantia itinera ab eorum ingenio peragrari queunt. Medici excogitant vnam virtutem reâtricem, nescio vbi residentem, quæ illos propellit, dirigit, ad diuersa loca secundum necessitatis exigentiam amâdat, ad instar Intelligentiæ, quæ æthereorum orbium motui ciendo, ac gubernando iuxta assidet ac præsidet. Nos credimus verius, regi & moueri eos à virtute impellente & attrahente qua cor, cerebrum, cæteraque partes donatæ sunt, quæ in nutritione & augmentatione manifestis deprehenditur. Tertium principale membrû est jecur, dictum officina sanguinis, imò reliquorum humorum: quod apud antiquos medicos cû corde de primatu & æstimatione certauit, sed iam dudû litem cû omnibus expensis perdidit. Substantia rubet, mollis est, cruori fœtui suo paulo ante concreto similis, nisi quod maiore durtiem vendicet. Est primus alimenti distributor, & cordi tanquam quidam annonæ præfectus ministrat. Sunt alia ad *νεκρόσμου* erectionem confluëntia, minus quidem principalia, attamē necessaria. Est Ventriculus seu stomachus, qui cibus ab ore tanquam coco frustatim receptis concoquendis præest. Est lien ad sinistram Ventriculi sedem, qui sanguinem lutosum, fæculētumque à jecore confectum excipit, purgat, rarefacit, & suæ nutritioni
aptum

aptum reddit, Est pulmo cordi circumpositus, qui aërem deforis attractum præparat, quo eius ferocientem calorem mitiget; qui etiam ad respirationem & loquelam est natus. Sunt pedes motionum progressuarum, manus externarum operationum communia instrumeta.

Ultimò admirabile est cernere instructiones muscutorum, numerum venarum, arteriarum, per quas veluti flumina aut riuulos, omnia membra, vnius regni prouinciæ, inter sese communicant, commercia, fœdera, auxilia peragunt, quas si ad calculos vellemus reuocare, prius forsitan stellas cœlorum dinumerauerimus.

Atque hæc de terrestri & materiali orbis nostri portione, non ex Philosophis solis aut Anatomicis, sed etiam ex Sacris Scriptoribus, Spiritus S. calamis, ne horum speculationem curiosam, naturalem dumtaxat & non cœlestem esse, quis sibi persuadeat. Nec omnia quæ merebatur dici protulimus (esset enim opus multorum dierum, imò mensium) sed ex potissimis quædam: nec ea quidem κατὰ ἐντελεχίαν hoc est perfectè & completè, verùm (vt Aristotelicâ phrasi utar) ἐν τῷ πῶ vniuersaliter, confusè, per capita & nudas summulas. Particularius ea prosequuntur dissectionum magistri, inter quos præfulget Andreas Vesalius, qui minutim ea exhibet, in quibus tanta diuersitas, discordia concors, ordo, industria, subtilitas conspicitur, vt cunctipotens numen in homine condendo omnipotentiam suam prodegisse videatur. Quid igitur mirum si sub vilis pellis lacernâ paruum mūdum collatebrare dicamus? Omitto staturam hominis erectam esse, cœlos vnde fluxit, quo pergit, cōtinuò spectantem, cum cætera animalia acclinia sint, terram designantia: & quidem grati venustaque quantitate, quâ non nimium staturosi, nec nimium sumus pusilli; quam hominis efformationē pluribus eulogijs celebrarunt SS.

PP. Omitto communes facultates, quas animantibus in-
 feuit idem architectus, animale, vitale, naturalem;
 quæ iterum tripartita est, nutritiua, ne tanquam exigui
 temporis flos præproperè extabescat sanctissimum ani-
 mal: augmentatiua, quâ ad perfectionem promoueatur,
 quod imperfectum nascitur: generatiua, quâ saltem hîc
 in specie perennet, quod in indiuiduo non potest. Vni-
 uersa hæc profundissimè contemplatus Basilius in expo-
 sitione loci Scripturæ, *Formauit Deus homineus*, suspirando
 adclamat: [Vnde mihi tantum affluat eloquentiæ flu-
 men, vt ad amissim expromere queam quæ in se com-
 plectitur illa vox, ἐπλασε, formauit; finxit: si otij libe-
 rioris tantum superesset quo fretus demonstrare queam
 humani corporis constitutionem, nimirum ex teipso
 docereris quam prouida fuerit circa te quamque solers
 Dei sapientia.] Vnica breuis vocula est, formauit, verû
 reconditi mysterij copiam comprehendit. Gregorius
 Nissenus narrat sibi animum suggestisse aliquando dubi-
 tationem, quomodo magnus possit esse homo, qui tot
 miseriarum centenarijs quotidie inuoluitur, & addit,
 hanc dubitationem ademisse sibi sacram de Genesi no-
 stra historiam, in quâ legebat quo consilio, quâ industriâ,
 quoue artificio Deus nos contexuerit: inde videri homi-
 nis prærogatiuam, magnitudinem: ex hoc capite homi-
 nem vere dici scelicem, animal diuinum: hæc esse atten-
 denda, hæc præponderare omnibus eius quibus obno-
 xius est calamitatibus: miserias tantum esse puluisculos
 quosdam in aureâ catena, in pretiosâ imagine leuiter
 conspersos. Si pergere liceret ad alteram portionem quæ
 immortalis est, secundum quam ad similitudinem Crea-
 toris facti sumus, animam puto, eiusque potentias & o-
 perationes, centuplo admirationem & dignitatem ac-
 cumularem Quemadmodum ad perfectionem Vniuersi
 voluit

Supra.

*Orat. 2.
in homi-
nis pro-
creat.*

voluit summus Opifex substantias procreare, alias corporales, vt cælum, elementa, alias spirituales, quales sunt Intelligentiæ, quas vulgariter Angelos nuncupamus: sic in minori mundo, quo omnibus numeris absolutus consummatuſque foret, ex materiali & immateriali, ex mortali & immortalis humanum plasma composuit: voluit inexplicabili ingenio duoremotissimâ extremeque pugnantia in vnum coalescere & ex duobus perfectis, perfectissimum aliquid exoriri. Hæc coniunctim expendens citatus Basilus ad illa Moysis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, hac Apostrophe discurret: [Nosse vis teipsum, vel hinc auspiciuſumito. de nullo enim opificiorum, quæ eatenus condiderat, vox ista in litteras transmissa est. Lux & reliqua facta sunt, idq; simplici mandato: nam dixit Deus, fiat lux, fiat cælū, & ecce cælum præeunte nulla consulatione constitit. Rursus luminaria, nec quidquã legitur præextitisse initi consilij de condendis luminaribus. Præcepto item fecit mare, vt esset, pelagusue omni dimensione superius. Dei mandato omnigeni pisces facti. Feræ itidem, iumenta, volucrum genus omne, dixit Deus vt essent, & ecce facta sunt. Hæc mandato. Non iam hic constitit homo: ast de eo formando initur consilium. Non vt de alijs præmiserat dixit, fiat homo, sed consultando, faciamus hominem. Erudire hinc ô homo, ac edisce, quanti vnus tu æstimandus venias. Neque enim generationem tuam ceu abiectitiam aut pretij vulgaris communi creaturarum mandato censuit attextendam. In Deo consultatio prægreditur, quomodo pacto id animantis, quod tanti fuerat æstimandum, prouehi deberet ad vitam. Per hoc sane quod curam eam cõdendi hominis interferit Scriptura, innuit Deum voluisse edere quidpiam quod eximie suæ artis specimen esset, numeris omnibus

Genes. 1.

Hom. 10.
Hexam.

absolutum, perfectum, solertique artificio elaboratum ac perpolitum. Aut certe tibi vt insinuet, quam sis in oculis Dei tuâpte naturâ perfectus,] Ita Basilii sæpe nominatus quod in hocce opere Dei considerâdo sit multus, qui deinceps prosequitur plura de dignissimâ formâ secundum quam ad imaginem Dei effecti sumus. Verùm quia illud negotij modò nobis nõ proposuimus, vltius non protraho. Seneca naturalis & moralis Philosophus, *σωματοποιήσιν* nostram extollens, admodum debachatur in eos, qui conqueruntur, quod omnipotens non plus roboris, non plus perfectionis nobis indiderit quam potuit, iuuabit ipsa met eius verba audire: potiora mea non forent. [Vide, inquit, quam iniqui sunt diuinorum munerum æstimatorum. Et quidem professi sapientiam queruntur quod non magnitudine corporis æquemus elephantes, velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros: quod solidior sit cutis belluis decentior damis, densior vrsis, mollior fibris: quod sagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilæ, spatio ætatis corui, multâ animalia nandi facilitate Et cum quædam ne conuenire in idem natura patiat, vt velocitatem corporum & vires pares animalibus habeamus, ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem nõ esse compositum, iniuriam vocant: & in negligentes nostri Deos querimoniam iaciunt, quod non bona valetudo, & virtus inexpugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Vix sibi temperant quin eò vsque impudentiæ prouehantur, vt naturam oderint quod infra Deos sumus, quod non in æquo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorūque beneficiorum reuerti, & agere gratias quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas fortiri, quod terrenis præfecerunt. Aliquis ea animalia comparat nobis quorum potestas penes nos est? Quidquid nobis ne-

gatum

gatum est, dare non potuit. Proinde quisquis es iniquus
 æstimator fortis humanæ, cogita quanta nobis tribuerit
 parens noster: quanto valētiora animalia sub iugum mi-
 ferimus: quanto velociora consequamur: quam nihil sit
 mortale non sub nutu nostro positum. Tot virtutes ac-
 cepimus, tot artes, animum denique cui nihil non eodē
 quo intendit momento peruium est, sideribus velociorē
 quorum post multa sæcula futuros cursus antecedit: tan-
 tum denique frugum, tantum opum, tantum rerum alia-
 rum super alias aceruatarum. Circumeas licet cuncta &
 quia nihil totum inuenies, quod esse te malles, ex omni-
 bus singula excerpas quæ tibi dari velles. Ita benè æsti-
 mata naturæ indulgentia, confitearis necesse est in deli-
 tijs te illi auctori omnium fuisse.] Hic simul aduerte
 quod egregiè animaduernerunt^a Plato,^b Aristoteles,^c La-
 ctantius,^d D. Thomas, licet homini natia illa indumē-
 ta & arma, quæ brutis ab ortu cōcedit, naturæ conditio
 denegarit id tamen compensasse aliunde cum magno
 cumulo, dum eirationem elargita est, qua artes varias
 ad comparanda sibi necessaria excogitaret: dumque ei
 simul manum, vt commune instrumētum, ad illa omnia
 tractanda conficiendaque attribuit. Atque monet Ari-
 stoteles in eo etiam meliorem esse humanæ conditionis
 rationem, quod bruta vno tantum integumento, vel co-
 rijs, vel villis, spinis, plumis, squamis, cæterisq; id genus,
 vno armorum genere vt vel cornibus, vel vnguibus, vel
 dentibus vtantur, homo multiplicem sibi vestem aptet,
 quam pro tempore & loco mutet, variaq; habeat armo-
 rum auxilia, cui manus est vnguis, cornu, & quoduis ge-
 nus armorum.

Vt verò Deus insigni artificio hominis edificiū plas-
 maue peregerit, ex cultiore tamē stylo in electorum suo-
 rum membris effigulandis procedere non ambigēdum:
 variusque

*a In Pro-
tagora.*

*b Lib. 2.
de parti-
bus ani-
mal cap.*

*10.
c Lib de
opif. Dei
cap 2.*

*d 1. parte
qis. 76.
art. 5.*

variusque in illis est, prout saluti & fini eorum, ad quem destinavit, congruere ipsius sapientia videtur, qui mirabilis est in sanctis suis. Hinc non rarò animam pulchram pulchro corpori adaptat, quò rarior chariorq; sit in pulchro corpore virtus, mirificèque conditoris singularem gratiam commendet, liberalisque misericordia eluceat. Designaturus primum regem Israëlitis petentibus, nominat Saulem, qui erat electus & bonus, & non erat vir de filijs Israël melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum. De vocato in reprobati Saulis solium Dauide & rudimenta roboris posituro, ait Scriptura: *Erat autem rufus & pulcher aspectu, corpore firmus.* Quinimò Christus Dominus Saluator noster, etiam mortale vitam adhuc agens, eximiam vultus gratissimamque speciem habuit, quantū virum decet, non enim effæminata pulchritudo virum exornat: eo intellectu Psalmum *Speciosus forma præ filijs hominum diffusa est gratia in labijs tuis,* de corporali pulchritudine Christi interpretantur D. Augustinus, Chrysostomus, alijque. Pulcherrimâ pariter honestissimaque formâ præditam fuisse B. Mariam diuino digito sculptam statuat legimus. Ad quam Gregorius Nazianzenus, [O Virgo quæ nitore formæ cæteras præis.] Id ipsum ex factoris munificentia indeptus est Sanctissimus Pater noster *Norbertus*, cuius festiuitatem hodie inchoauimus, de cuius corporali habitudine accepimus fuisse formâ decorum, aspectu hilarem, vultu serenum, sermone iucundum, conuersatione placidum, conuictu affabilem, paululum procerum: fuisse eloquio excultum, scientiâ instructum, animo generosum, raræ affabilitatis & elegantia morum: qui verè potuit dicere cum Salomone, *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animâ bonam.* Cumque illis primò abuteretur ad malum, posteriùs tanto feruentius vsus in abundantissimum bonum, verifi-

Psal. 45.

In dictū

Psal. 45.

Hom. 28.

In Matt.

Vide Ni-

cepho. lib.

2. c. 23.

In Chri-

sto patre-

te.

Sarius in

vita S.

Norberti.

Sapient. 8.

verificans illud D. Pauli, *Vbi abundavit delictum superabun-*
davit & gratia. Quo beneficio gratiæ à Deo non est præ-
 uentus & adiutus? Quomodo eidem gratiæ auscultauit
 & cooperatus est? Quantis pænitentia alijque operibus
 se diu noctuque constrinxit? Quæ non incommoda à
 malignis, à dæmone, aëre est perpeffus? Quæ sanè tanto
 ei asperiora fuerunt, quantò eius complexio melioris de-
 licatiorisque conditura fuerit. Docent communi con-
 sensu tum Philosophi, tum medici, hominem bonitate
 temperamenti cætera animantia superare, eamque ob
 causam gustu & tactu, qui boni temperamenti comites
 sunt, supra eadem præpollere: consequenter quasuis in-
 flicciones eum longè acerbius vrere, interque homines,
 quo præstantioris quisque est temperatura, eò etiam in-
 ter eosdem tactu præualere, acriusque afflictiones per-
 sentiscere. Cum igitur *B. Norbertus* præcellenti primari
 qualitatatum symmetria præditus fuerit, vt ex insigni ha-
 bitudine corporis & mentis perspicaciâ non dubiè col-
 ligitur, acerbissimâ pænâ eum affecerunt illa rigorosa pæ-
 nentialia opera, subtilissimè dolores quosuis sentijt.
 quemadmodum Theologi argumētantur, Christus op-
 timam habuit constitutionem corporis, ergo acerbissi-
 mè affectus est cruciatibus suæ passionis quos pro re-
 demptione nostra subiuit. Attamen terrenæ isti moli nõ
 anxius fuit *S. Norbertus*: omnes appetitus qui antea mū-
 do seruiant, sub iugum iræ, Deo seruire edocebat.
 Erectus excelsa fide Abrahami Isaac primogenitum filiū
 suum (carnem) Domino immolare non expauescebat.
 Hàc fide siue fiduciâ, aut spe quæuis incurfantia incom-
 moda, Diaboli malignantium osorum insidias, oppro-
 bria, venena, sputa, exilia, labores deuorabat, pro nihilo
 ea reputabat Hàc ratione non solum celestē qui à gratiâ
 est, sed etiam naturalem & proprium hominem rite or-

dinabat, nãm sine spe homo, homo dicendus nõ est: do-
cente namque Philone Iudeo, Hæbreorum disertissimo,
cum principium parandorum bonorum sit spes, etiam
hanc tanquam publicam viam natura ostēdit, & aperit
anima veri boni studiosa, quæ primum amicum spei no-
minat hominem, vocabulum totius generis commune
tribuens ei per excellentiam: Chaldæi enim hominem,
Enos, id est sperantem vocant, ac si solus verè homo sit,
qui res bonas expectat & bona spe se sustinet: Vnde ma-
nifestum est quod spe carentem, non hominem existi-
mât, sed bestiam humanà forma laruatam cui desit spes
proprium ornamentum rationalis animæ. Hanc, inquit,
idem Philo, in foribus, ceu iantricem natura collocavit,
intus verò cæteras virtutes regias, quas adire licet nemi-
ni, qui non prius hanc vnam demeruit. Hac magnanimâ
fiducia & spe indutus *Norbertus*, naturalissimè & verissi-
mè homo fuit; hæc stipatus omnibus superior euasit, v-
tramque fortunam intrepido excepit pectore, ac prouer-
bium sui sæculi factus, *In Norberto fides, In Milone humili-
tas, In Bernardo charitas.*

Dominum igitur omnium Architectum in gloriosissi-
mo Patrono nostro collaudemus, qui tale habitaculum
virtutis ad salutem & gloriam nostram præparauit. Lau-
demus eum in nobis ipsis, qui supra reliqua Vniuersi excel-
lentiã nobis attribuit, inenarrabili cõsilio, ad eò ingenio-
sã manu nos elaborauit. Cælestis Poëta David ad laudem
fui Opificis & gratiarum actionem totum inanimatarum & irra-
tionabilium chorum aduocat, hortaturque; cælum, terram, Solẽ,
lunam, maria, montes, colles, arbores, pecora, volucres cæli,
pisces maris: multo magis nos ad idem incitari æquum est,
quibus beneficia maiora impensa, qui in super radio intel-
lectus, & rationis sumus collustrati, & quod omne fert
punctum, per gratiam diuinam cõsortes naturæ sumus effecti.

